



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Disputatio XVII. Vtrùm vnio hypostatica sit in persona Verbi? S. Thom. q. 2.  
art 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

SECTIO III.

Non possunt immediatè vniri illa natura.

§. 13. Tandem concludo non posse immediatè vniri naturam humanam diuinæ, sed mediatè in hypostasi. Quæ sententia est frequens apud S. Thom. hoc art. & alibi: quem sequuntur plerique Theologi. Probat, quia, vt possint vniri, opus est vt in natura humana sit aliquod prædicatum ab illa realiter separabile, cuius loco subrogetur prædicatum naturæ diuinæ: sic videmus in Incarnatione, vbi pro subsistentia creata subrogatur in-creata. Vel saltem opus est vt sit in natura humana

aliquod prædicatum, cui aliud simile respondeat in S. Thom. diuina, quod ab illa communicari possit: vt in aliquorum sententia persona diuina potest vniri angelicæ naturæ, quamuis non distingueretur à suo supposito: sed in natura humana non est eiusmodi prædicatum: ergo non potest vniri. Probat, Minor; quia duæ naturæ totales non possunt vniri nisi continuatione.

§. 14. Obijcis, naturam diuinam posse vniri humanitati in ratione cognitionis actualis, & reddere humanitatem intelligentem. item potest illi vniri in ratione sanctitatis: ergo possunt vniri immediatè illa naturæ. Respondeo, admissis illis duabus opinionibus, illam vnionem non esse dubiam: à quarum disputatione nunc ego abstinco: est autem mea quæstio de vnione substantiali, vtrum possit contingere immediatè inter eas naturas.

DISPUTATIO XVII.

Vtrum vnio hypostatica sit in persona Verbi?

S. Thom. q. 2. art. 2.

§. 1. **H**æc disp. solum continet explicationem erroris Nestorij: qui fuit omnium eorum qui negant Christi diuinitatē. Nestorius enim Christum constituit purum hominem, vnitum Deo per solum affectum excellentē. Hoc non negauit Simon, neq; Carpocrates, neque Arrius. P. Vasquez censet disp. 15. Carpocratem synchronum fuisse Simonis: at illum faciunt longè posteriorem Baronius tom. 2. anno 120. n. 5. P. Gordonus eodem anno: P. Gaucherius Simonem constituit sub initium primæ centuriæ, & Carpocratem in secunda.

§. 2. Vnionem factam immediatè in persona Verbi, constat ex omnibus testimonijs, quibus Christus vocatur vna persona: vnitas autem personæ est vnio seu indiuisio in personalitate. & quemadmodum ex pluralitate naturarum in Christo negamus inter illas immediatam vnionem, ita ex identitate personæ humanæ & diuinæ colligimus vnionem naturæ humanæ ad personalitatem diuinam.

Vide P. Vasquez disp. 15. præsertim c. 4. P. Suarez disp. 5. sect. 3. Valentiam puncto 2. Bellarminum à cap. 5. apprime hunc articulum probantes contra Cherintum, & alios hæreticos, asserentes Christum non esse vnā personam, sed duas, alteram humanam affectu coniunctissimam diuinæ, ab humana distincta. Quj error quia operā Nestorij percrebuit, Nestorianus dicitur, cum eius auctor non Nestorius, sed Cherintus fuerit.

§. 3. Discrimen autem cur possit humanitas hypostasi vniri, non verò naturæ, est præstò: quia humanitas habet subsistentiam realiter separabilem, cum qua constituit hominem: pro qua subrogari potest subsistentia diuinæ ad complendam humanitatem, & hominem constituendum per substantialem vnionem: in naturis autem desunt eiusmodi prædicata: ob quod inter naturas repugnat immediata vnio, non verò inter naturam & hypostasim.

DISPUTATIO XVIII.

Vtrum vnio facta sit in hypostasi?

S. Thomas quæst. 2. art. 3.

§. 1. **H**æc quæstio videbitur fortasse superflua: quia hypostasis & persona sunt idem in natura intellectuali: quæsitum autem est disp. 17. vtrum vnio facta sit in persona? cur ergo quæritur nunc vtrum facta sit in hypostasi? Respondeo ex S. Thoma art. 3. id obseruante ex S. Cyrillo, hypostasim & personam à vaftris hæreticis acceptas am-

biguè: hypostasis accipiebatur physicè pro subsistentia, quæ est personalitas; persona autem accipiebatur moraliter pro dignitate & excellentia: vt dicitur aliquis magna persona, non quòd sit corpore procerò, aut longam habeat subsistentiam, sed quia magna est dignitate & excellentia. Alij verò subsistentiam vsurpabant pro natura, id est, pro substantia absoluta Dei: ob quod negabant vnio-